

ac Reipublicæ gratificaretur, in decennium sanxisse, ut reliquis solutus curis, sequenti anno in expeditionem Turcicam cunctos ingenii, ac virium nervos intenderet. Theupolo, & Cornelio in patriam revertentibus, voluptate se affici, inquit, quod gravissima hac de re Venetias reversi agere in Senatu possent: cujus mente cognita, quam in Hispania sextilem ad mensem expectaret, statim, aliis omnibus prætermisissis, totum in iis quamcelerrime expediendis, quæ ad bellum necessaria essent, futurum, ut februario mense cum ingenti omnium rerum apparatu proficisci in hostem posset. His ad Senatum delatis, quid repetitis Cæsaris postulatis responderetur consultum est. In diversas sententias Patres scindebantur; nonnullis ut in decem peditum millia, ultra summam debitam ex foedere, conscribenda, centum naves, ac sex fossorum millia cogenda, Senatus portionem impensæ polliceretur, placebat: aliis, ne certæ cuipiam rei præstandæ, uti antea responsum fuerat, obstringeretur, sed quicquid in Reipublicæ facultate situm esset, præstaturum promitteret, satius videbatur. Re perpenſa, atque discussa, ex priori sententia Cæsari Senatus respondendum censuit. Qua ex re magna se voluptate affectum fuisse, haud obscure significavit; cum Petro Mocenico oratori, quæ sæpius antea fuerat proloquutus, persancte confirmaret, aperiente se vere, cum classe profecturum, eximium aliquod facinus ad totius christianæ reipublicæ commune bonum, ac decus animo agitantem, nulla pericula, nullos labores formidaturum. His a Mocenico Patribus significatis, ut Cæsaris animum confirmaret, atque ad apparatus belli perficiendos incitaret, & præclarum in rempublicam christianam studium extolleret, nullum officii genus a Senatu prætermisissum est. Ceterum Joannes Antonius Venerius, qui per eos dies e Cæsareana legatione redierat, atque in Senatu, ut moris est, de rebus, a se gestis orationem habuerat; cum de profectioe Cæsaris in Turcas verba faceret, illo in expeditionem proficiscente, duplo majores sumptus infumendos disseruit, ad quos præstandos vix plurimum annorum spatium sufficeret, cum bellis præteritis attritæ, ac debilitatæ vires adeo essent, ut impares ad immensam potentissimi hostis bellicam molem sustinendam cunctorum consensu viderentur: belli quoque Gallici nunquam suspicione

*Senatus responsum.*